DE
HEMICRANIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE ADIPISCENDOS
UNA CUM THESIBUS
PUBLICE DEFENDET
DIE XVII. MENS. SEPTEMBR. A. MDCCCLXII
HORA XII

AUCTOR
ERNESTUS WITTE
GENTHINENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:
R. BOYE, DR. MED.
O. KRUEGER, CAND. MED.

HALIS SAXONUM,
TYPIS ORPHANOTROPHEI.

VIRO

ILLUSTRISSIMO CELEBERRIMO

C. LICHTENBERG

MED., CHIRURG., ART. OBSTETR. DOCTORI

QUI PRIMUS EXEMPLO ATQUE
AUCTORITATE HUIUS SCIENTIAE NOSTRAE AMOREM
MEUM INCITAVIT

HASCE PAGELLAS

PII AC GRATI ANIMI SIGNUM ESSE VOLUIT

SCRIPTOR.

Antequam ad hemicraniam ipsam pervenit disputatio, haud inutile erit, de ratione neurologiae nonnulla summatim disserere. Quamvis propria verbi vis doceat, neurologiae nomine quemque contineri dolorem, qui semper affectione nervorum sensibilium evocetur, tamen dicendi usus hoc nomen in certum symptomatum genus transtulit. Neurologia enim dolor est paroxysmatice excitus et in certis nervorum cursibus contentus, qui cum plerumque nullas in nervorum structura mutationes ostendat, caveas, ne pro morbo tantum dynamico et immateriali eum habeas.

Immo potius certa lege substantiam nervorum affectorum mutatam esse, eamque rem subterfugere observationem anatomicam existimandum est. Saepenumero hac substantiae mutatione nervorum affectio residet, unde habitualis efficitur eaque nervosa neurologia. A parte physiologica vero si proficiscamur, demonstranda est neurologia haec affectio morbosa, in via unius vel complurium nervorum sensibilium sita, quae cum in omnibus eorum partibus, in organo centrali, in via, in extensione peripherica vim habeat, in sensibus hominis aegroti non solum in superficie, sed etiam in toto nervorum cursu dolorem excitet. Ab hyperaesthesia maximae ea re differt neurologia, quod nec intervalla praebet, nec paroxysmata.

Dolor in neurologia tentationibus apparet, quae nonnunquam certis diebus, quemadmodum febris intermittentis paroxysmata, redeunt; saepius vero certis evocatae caussis in intervallis aut perfectam relinqunt indolentiam aut cum magna relaxatione exiguam modo affectionem. Is autem dolor vehementissimus est: nam cum mordeat, compungat, ardeat, conterat, totam aegroti vim occupat. Tum in via nervorum puncta sunt, quae si digitis premas, dolorem tentationi similem efficiunt; vulgo quidem iis in locis, quo nervi aut foraminibus aut incisuris ossium exeunt, aut superficialiter intra cutem atque ossa iacent. Ea puncta a Valleix medico nomen ducunt „Valleiia.“ Denique insigne proprium ac peculiare neurologiae est, modica nervorum affectorum compressione magnopere augeri dolorem, vehemente diminui.

Extra nervos maxime dolore occupatos, alii quoque sensibiles eorumque vicini afficiuntur nervi, quorum dolores „irradiati“ vocantur. Saepenumero non solum in nervos motoricos, ita ut varii existant spasmi, sed etiam in trophicos et vasamotoricos dolor se extendit, qui e pallore cutis, algore, tumore partium affectarum, aucta tentationibus secretione intelligitur, denique impedita digestione, erythematum inclinatione, multis aliis symptomatibus apparet. Quod vero ad animi functiones pertinet, tentationes neurologiarum nisi in ipsis paroxysmis vim habere non solent, sed in illis tantum valent, ut summum etiam animi vigorem superent. Processus vero atque decursus neurologiarum multiplex est, cum fieri possit, ut omnes habituales efficiantur multumque temporis remaneant. Mortem sua vi non afferunt. Caussae sunt variae: dominantur media in aetate, ab infantia omnino fere absunt. Importuna tempestas auctumni atque hiemis est, quae quidem humido plerumque nocet algore.

Iam cum summatim de neurologiae symptomatibus omnino disputavimus, gravia magnique momenti symptomata, quae ostendit hemicrania, brevi explicabimus.

Anatomia pathologica.

Magis etiam, quam in plerisque ceteris neuralgiis autopsiae in hemicraniae negativi sunt eventus. Nam cum morbus nullo modo letalis sit, aegrotorum, qui in ipso paroxysmo mortui essent, exempla vix novimus. Sed apud homines, qui hemicrania habituali laborabant, saepius in cavo cranii mutationes cernuntur, quas quidem certo modo ad morbum revocare non possumus. Praecipue vero meninges cerebri, ossa cranii eorumpue vasa affecta sunt, ita ut indurationes, adhaesiones, ossificationes, accumulationes corporum Pacchionicorum, atheromatosae arteriarum mutationes efficiantur. Sed, ut iam supra diximus, huius generis status pathologici in multis inveniuntur hominibus, qui nunquam laboraverunt hemicrania.

Symptomatologia.

Decursus, spatium temporis, exitus hemicraniae.

Felix Niemeyer, cum hemicraniae characterem neuralgiae vindicare nolit, et longinquitatem morbi, qui saepe per decem annos, saepe etiam longius per tempus remaneat, et

tentationes paullatim accedentes et cessantes, easque puerilem iam aetatem arripientes imprimis premens, tamen in his momenta tantum habet, quae peculiarem neuralgiarum esse speciem demonstrent hemicraniam, cum pathognomica eius symptomata, communibus omnium neuralgiarum symptomatibus respondeant. Quibus vero nervorum in partibus habeat sedem, ad hoc tempus satis constitui non potest. Cum enim in extensionibus nervi trigemini, in cavo cranii, in meningibus cerebri insidere possit, rectius tamen Romberg meram esse neuralgiam cerebralem hemicraniam affirmare mihi videtur: quod quidem consensus (Mitempfindungen) et reflexus (Reflexerscheinungen) e consensibus pendentes demonstrant. Primum igitur dicendum est, hemicraniam esse malum periodice recurrens, quod etiam certam saepius diem retineat. Sic mulieres haud multum ante menstrua, vel incipientibus vel absolutis katameniis eodem semper tempore hemicrania affectae sunt. Immo vero exempla docent, hemicraniam certum diem, utpote octavum, occupasse. In nonnullis aegrotis iam pluribus ante diebus symptomata prodromalia animadvertuntur, ut anorexia, oscitatio, fatigatio, sensus alicuius quasi frigoris, quae praeterea varias plerumque praebent hallucinationes, amblyopiam, scintillas ante oculos vagantes, crepitum in auribus versantem, etc. Apud alios haec symptomata moderatiora sunt, nonnunquam omnino deficiunt. Ipsa tentatio a doloribus exit, qui unum plerumque tantum capitis latus, idque saepissime sinistrum occupant: interdum tamen exempla morbi occurrunt nobis, bilateralem ducentia hemicraniam. Dolores vero, pungentes, prementes, ardentes, celeriter crescunt, et gradum accedunt tam intolerabilem, ut aegrotus quietem absolutam et tenebras quaerens in maximam animi lassitudinem incidat, ita ut omnis propriae

actionis, omniumque animi motuum ab aliis excitatorum maximopere eum taedeat. Simul ac vero paullatim remiserunt symptomata, aegrotus plerumque indormit et recentibus confirmatus viribus atque a morbo liberatus expergicitur. Atque ita hemicraniae tentatio post paucas horas desinere potest, interdum autem vel per unum vel per complures dies durare; quod si accidat, primum somnum morbi afferre finem non posse certum est.

In quacunque hemicrania certa lege consensus et irradiati qui dicuntur dolores nervum quintum praecipue et nervos sensorios afficiunt. Tum oculi dolent, lucem refugiunt, minores esse videntur, ante quos tremor et imagines coloratae versantur. Tum sensus audiendi abnorme acutus quemque levissimum excipit strepitum, integumenta capitis dolore afficiuntur tactis crinibus, qui nonnunquam sua sponte sese exigunt. Neque absunt synergia nervorum vasamotoricorum: oculi lacrimantur, caput sudore quasi lavatur, malae pallescunt et labuntur; morbo longum per tempus imperante in latere capitis affecto crines excidere incipiunt. Raro convulsiones musculorum faciei et vehementes dentium dolores inveniuntur, neque saepius dolor ad nervos cervicales pertinet. Crebrum vero symptoma, iam incipiente tentatione se ostendens, inclinatio est eructationis, quae magis augetur, donec vehemens lividae et biliosae massae vomitus sequatur, qua eiecta aegrotus sublevatur. Plerique dum durat paroxysmus repudiant cibum, alios cibus adiuvat. Organa digestionis modo intacta sunt, modo catarrhis affecta; hepar plerumque leviter tumescere digitisque pressum dolere docet Niemeyer, nonnunquam etiam vehemens apparet icterus.

Hemicrania semper est morbus chronicus ac saepenumero totam per vitam remanet, interdum iam ab anno octavo

vel nono incipiens. Haud ita raro sua sponte aut post partum mulierum aut post morbum acutum febrilem abit, saepissime vero, simulatque involutionis periodus advenit. Letalem autem habuisse hemicraniam eventum, nunquam cognitum est.

Aetiologia.

Nos si res vitae humanae, quibus plerumque se ostendit hemicrania, intueamur, hereditatem in ea magnam vim habere intelligemus. Atque mulieres multo saepius quam viros corripere solet morbus, eaque aetate, quae a pubertate usque ad annum vicesimum quintum durat, saepissime sumit initium, qua quidem peracta Tissot hemicraniam incipere posse noluit. Homines humili loco nati aeque ac proceres afficiuntur morbo siquidem diversissimis de caussis. Praecipue cum hysteria, chlorosis, graviditas, tum gastralgia, dyspepsia, animus nervosus et intentio mentis immodesta morbum proferre videntur, neque vita in sella peracta utilitati esse solet. Caussae occasionales, quibus excitatur hemicrania, sunt plerumque hae: emotiones psychicae, diaeta laesa, intenti in magno calore corporis labores, multae aliae.

Diagnosis.

Diagnosin plerisque morbi casibus facilem esse, ex hemicrania descriptione certa atque accurata, quam supra

constitui, satis intelligitur. Nam primum dolores hemilaterales, et certus fereque typicus tentationum reditus, quae febri vacantes eodem in homine eodem semper modo procedunt, deinde intervalla omni dolore carentia, denique novorum symptomatum in aliis nervorum decursibus penuria, quamvis per longissimum tempus protrahatur morbus, tutam praestant atque facilem diagnosin. Quibus symptomatibus semper occurrentibus nobis, intra cavum cranii exclusae sunt aegrotationes organicae. Iam clavus hystericus, qui finibus continetur arcte descriptis, magis continuus est, magis aequalis apparet, paroxysmis caret, ex improvisu et advenit et abit. Neque ceteri qui sunt capitis dolores diagnosin difficilem reddunt, quos iam enumerabo: Est vero primum Cephalalgia in cavis ossis frontalis, quam semel venientem comitatur coryza, tum dolores in nervo frontali et plexu cervicali superiore versantes, qui accurate cursum nervorum sequuntur, deinde dolores in tendinibus, ossibus, aponeurosibus cranii insidentes, qui certa dyscrasia, ut rheumate, arthriti, syphilide gignuntur, denique capitis dolores, qui abnormi sanguinis qualitate in anaemia praecipue exciti neque brevi tempore desinere solent, neque remissionem praebent claram atque certam, et praeterea morbum, qui iis suppositus est, facile cognoscendum reddunt.

Prognosis.

Prognosis opportuna est in hoc, quod humicrania nec periculum afferente severius aegroto neque ullo modo graviores interpellante functiones corporis, nunquam letalis est

timendus exitus. Infaustior vero prognosis est, quod ad sanandum morbum pertinet. Quamvis enim ex fundamento sanari possit malum in iis praecipue casibus, in quibus perturbatio organismi aderat, quam medicaminibus pugnare possumus, qualis est gastralgia, etc. etc., tamen saepenumero morbus removeri non potest. Itaque satis habeamus nos oportet, levationem praetereuntem afferre aegrotis, singulas et resecare tentationes et minuere, atque efficere, ut rarius adveniant paroxysmi. Quibus in rebus therapia recentioribus praecipue remediis pulchros ac prosperos reportavit eventus.

Therapia.

Indicatio causalis maximam partem absolvi non potest: animus enim nervosus, munus coniunctum cum assiduo mentis labore vel animi concitationibus, hysteria, hypochondria, vis hereriditatis, necessitas gravioris laboris sub quavis caeli temperie, denique damnum aedificiorum humidorum impedimenta sunt, quae aut difficulter; ans omnino removeri non possunt. Sin vero hemicrania aliis de caussis iisque nostrae therapiae patentibus pendeat, minus timenda est. Tunc enim functionales et organicae affectiones ventriculi, hepatis, aliorum digestionis organorum praevalent. Hac in parte principia morbi removenda sunt, quo facto simulatque hemicraniae, quae hic modo symptomatica est, optima curatio adhibita erit. Cum vero morbus saepe cum dolore organorum mulieris sexualium cohaereat, ut cum menstruis interruptis, statibus anaemicis et chloroticis, therapia cuiusque morbi statui respondeat, oportebit.

In singulis tentationibus tractandis medici consilium haud ita saepe rogantur, quod paroxysmis saepius repetitis eorumque propter characterem specialem ac peculiarem, facile rem invenit aegrotus, qua morbum tolerabilem reddat.

Profecto multa sunt remedia, quibus singulas tentationes vel moderari vel diminuere, vel etiam praecidere possimus. Sed cum qualem eventum unum quodque remedium habiturum sit, priusquam adhibitum fuerit, constitui non possit, curationem initio experimentalem esse oportebit. Id quidem verum est, meliora etiam remedia, si longius per tempus protrahatur morbus, vim non solum amittere, sed etiam peiorem reddere aegroti statum, et ut alia medicamina adhibeamus nos cogere. Unde sequitur, curationem nimis sedulam removendam et medici auxilium caute speciali aegroti statui aptandum esse. Et quo serius ad observandum paroxysmum vocabitur medicus, eo certius eventum curationis opportunum fore sperare licebit; optime vero stadium prodromale interpellabitur. Tum res magni momenti est, aegrotum animo assiduo atque intento se ipsum observare, quum talis observatio certam normam atque amussim subiiciat cum uniuscuiusque casus, tum radicali sanationi, et praesertim diaetae constituendae.

Iam iniussus aegrotus, simulatque accessit paroxysmus, quietem et solitudinem quaerit, quas ne ullo modo relinquat, summo opere ei imperandum est. Tum capite erecto in conclavi modice obscurato iacere eum oportet, quam maxime remotum ab omni strepitu viarum omnique odore penetrante: neque quietem interrumpere, neque ullam animi actionem concitare licet. Qua de re omnes animi intentiones, ut lectionem, cogitationem, meditationem vetitas esse, iam per se intelligitur. Tum extremitates inferiores calidis integumentis

vel pedum lavatione foveas, desinendi voluntatem clysmate iniecto promoveas, eructationis molestam inclinationem remedio emetico subleves. Vetus et vernaculum remedium, quod vero saepius utilitatem attulit aegrotis, vasculum est coffeae nigrae, vel merae vel mixtae cum succo citrico. Coffea enim haud raro magnopere minuit et sublevat paroxysmum: cui hoc Formeii remedium adscribendum esse puto:

„Viridis et omnino siccatae coffeae ℥β aquae fervidae ℥vj infundas; mixturam digeras per duodecim horas et colaturam totam sumat aegrotus brevi ante paroxysmum incipientem."

Pari vel potius tutiori effectu utuntur coffeini citrici gr. X—XXX pro dosi, quod remedium Hammon primus in Therapiam induxit. Porro chamomillae et species florum Aurantiorum probatae sunt; singulos modo aegrotos aqua a Selters et Sodae aqua sublevarunt. Feminis irritabilibus, quas longiore ex tempore hemicrania laborare scimus, nervina saepius efficaciter prosunt. Sic Hufeland, dum dominetur tentatio praescribit:

Recp.
Tinct. Cortic. Aurant. ʒjj
Tint. Castor. Angl.
Tinct. Aloës ā ā ʒj
MDS bis per diem gtts. LX.

Alii in ipsis tentationibus dant medici olei valeriani gttmj; tum pro olfactorio habent: aetherem aceticum, ammoniacum aceticum, asam foetidam, oleum petrae, picem liquidam, alia.

Ut in multis aliis neuralgiis, sic in hemicrania quoque Nacrotica pollens praebent remedium atque nonnunquam radicalem efficiunt sanationem, quemadmodum in casu difficillimo, quem infra accuratius narrabimus, Extractum Belladonnae.

Quae vero, regnante paroxysmo, hoc modo danda est:

Rcp.

Extr. Belladonn. grjjj

Aqu. Laurocer. ℥jj.

MDS omnes tres horas gtts X—XV.

Saepenumero hoc medicamen tentationem praecidit, et longius per tempus adhibitum funditus removet morbum. Tum iure opiata, praecipue morphium aceticum, endermatice adhibitum, magni aestimantur: quo diligenter usi Francogalli felicem saepe curationis eventum assecuti esse voluerunt, ut Valleix in casu gravi et longinquo morphio acetico paroxysmos semper feliciter repulit.

Alii opiata ad usum interiorem adhibent, ut morphium aceticum, Tincturam Thebaicam, alia, alii clysmatibus cum opiatis praeparatis utuntur. In ceteris narcoticis laudantur: Aconitum, Stramonium, aqua Nicotiana Rademacheri, Kalium cyanatum, cuius gtt. vjjj—X solvuntur vel in aqu. destill. vel in spirit. vini rectificatiss. vel in aether. ℥j atque ita ad fomentationes adhibentur. Porro utuntur nonnullii Unguento Veratrino hac quidem formula:

Rcp.

Veratr. gr. j—jj

solve in spir. vin. rectificatiss. gtts. vjjj

Adip. suill. ℥β

Mf. unguent. DS. locis dolentibus infricandum.

Ut magnus est medicaminum thesaurus, qui singulis morbi casibus remedia praebeat, sic totam vitae rationem et diaetam secundum cuiusque aegroti naturam diverse regulari oportet. Alii enim, simulatque appropinquavit paroxysmus, multum cibi sumunt, alios, quibus dolores affert atque auget cibus, omnium victuum taedet; alii pannum arcte fronti circumligunt, alii ne minimum quidem capitis tegumentum patiuntur; alii infricationibus aceti, aquae Coloniae, spiritus vini rectificati, linimenti ammoniaci sublevantur, alii fomentationibus acribus utuntur, et cervicem aut ventriculum sinapismo tegunt.

Si in magna eructationis inclinatione vomitus spontaneus deficiat, emeticum praebendum atque optime Tartarus stibiatus, qui saepe ostendit eventum opportunum; neque inutilia esse interdum cathartica, iam supra diximus.

De radicali sanatione valde inter se dissentiunt medici, in qua parvam vim tantum habere medicamina sunt qui contendant. Id quidem inter omnes notum est, provecta aetate sua sponte omnem fere hemicraniam abire, quod apud mulieres saepe iam annis climactericis fiat.

Cura therapeutica vero saepe tam pertinaciter successu caret, hac de causa, quod importunus, quo utitur aegrotus, vitae cultus mutari non potest, et multi sunt, qui medicorum, de vita diaetetice et moderate agenda decreta contemnant.

Primum enim magna constantia et temperantia immo vero frugalitate coenarum, tum diligenti electu accommodati ad uniuscuiusque aegroti statum accurateque praeparati cibi potusque, tum moderata animi intentione et tranquillo noctis somno, deinde mundis sanoque aëre repletis conclavibus, denique modica sub divo ambulatione opus est.

In magno medicaminum numero, quae ad morbum funditus sanandum commendantur, multa sunt, quae haud ita raro salulatem praestiterint effectum. Nam si adventui, durationi, vicibus tentationum penitus typicis febrim intermittentem larvatam subiacere liceat existimare, chininum sulphuricum systematice, ut in ipsa febri intermittente, adhibitum, pulcherrimos habere eventus oportere, facile intelligemus. Quod remedium sequitur acidum arsenicosum in formula tincturae arsenicosae Fowleri ad jj — jjj vel etiam ad vj gtts. pro dosi bis vel terties per diem.

Ceterorum medicamentorum Tissotiae praecipue species commendantur, quarum usus diu sine ullo incommodo continuari potest. Constant vero illae species ex herbae Trifolii fibrini ℥j una cum Menthae piperitae ℥β, quas si ex dyspepsia atonica duci possit morbus, maxime salutares esse contendit Romberg. Similia folia Trifolii fibrini praestant admixta radici Valerianae, tum species ad decoctum lignorum atque etiam solum lignum Guaiaci raspatum. Neque fontium salubrium usus, quibus chalyps inest, hic omittendus est, ut fontium Pyromontanorum, Spaae, etc.: eorum domi quoque totum per annum quotidie prima luce impransus unum vel duo vitra bibas. Nonnunquam etiam in montibus habitare vel marinis uti iuvat.

Si ex anaemia aut chlorosi manat hemicrania, nullum remedium plus potest afferre auxilii, quam ferri praeparata et ratio vitae illis morbis adaptata; uteri vero morbos et longinquiorem dysmenorrhoeam hirudines nonnullae parti vaginali uteri appositae plerumque sublevabunt.

Postremo medicamina iam supra in therapia singularum tentationum in memoriam revocata, in usum etiam curationis radicalis utilitati sunt medicis: Belladonnam dico et acidum

hydrochloratum. Extractum Belladonnae enim in casu gravissimo, de quo infra disputabimus effectu valuit tam efficaci ut continuo eo adhibito morbus funditus tolli videretur. Acidum hydrochloratum, quod optime in pillulis adhibeatur huius formulae:

Rcpt.

Acid. hydrochlorat. ʒj

Extr. Aloës gr. XV.

Pulv. radic. Althae. qu. s.

ut fiant pillul. Nro. LX bis quotidie jv — vjjj sumend.

Krahmer (Aerztliche Heilmittellehre, Halle 1861) medicamen contra hemicraniam habitualem efficacissimum esse condendit. Verbis vero de hac re vir illustrissimus utitur hisce:

„Sie verkürzt, oft schon nach der ersten oder zweiten Gabe die Dauer, und mindert bei fortgesetztem Gebrauch die Zahl der Anfälle dieser lästigen Schmerzen, für welche der Systematiker kaum einen Namen, der Pathologe keine Erklärung, der Mensch aber viel Gefühl hat."

Iam eo perveni, ut exemplis e praxi petitis, quae supra dixerim, recta esse demonstrem, et imaginem morbi etiam magis perspicuam reddam. Multa vero notatu digna haec exempla continebunt.

I. Primum de vidua Caroline Bierende nat. Haedike, annum tricesimum atque tertium agente, Halis Saxonum incolente, narrabimus, qualem processum habuerit illius morbus.

Anamnesis.

Aegrota iam inde ab anno octavo cephalalgia certis temporibus typice recurrente laborat, quod malum in familia eius hereditaria est. Matrem enim usque ad annos climactericos cruciavit, tum paullatim reliquit. Aequa sors fuit aviae. Neque soror capitis doloribus vacat, qui vero natura usi incerta intentum corporis laborem prosequuntur. Filia decem annos nata usque ad hoc tempus cephalaea non affecta est.

Tentationes cum octo per dies aut ubi plurimum hebdomata tria cessarunt, plerumque nocte aut prima luce incipientes per tres, quatuor vel etiam octo dies sine ulla interpellatione saeviunt. Immo vero, nisi mentiatur aegrota, per quatuordecim dies cruciabatur doloribus. Qui vero vulgo caussis certis excitantur, qualia primum sunt mentrua vehementia, tum psychicae terroris aut irae emotiones, deinde intenta sub solis calore corporis labores. Itaque, dum aegrota agrum colit, tentationes crebriores, vehementiores, longinquiores sunt. Cibus autem atque potus in evocandis paroxysmis nullius videntur esse momenti.

Dolores cum in dextro capitis latere, ibique in vertice insident, inde in cervicem et malam radiantur, et auribus parcentes, sinistrum latus nunquam occupant. Paroxysmus inde ab initio summa saevit vehementia; simul dolores in

2*

hypochondriis, maximeque dextro, exoriuntur. Tum aegrota mollitiem sentit in ventriculo, magis magisque augescentem, donec vel sex, vel octo, vel etiam decem horis post initium tentationis lividae et biliosae evomantur massae. Eructationem intervallum sequitur, in quo cum remiserunt aliquamdiu dolores, denuo augescunt, quamquam non ita intolerabiles ut initio, et per tempus supra constitutum remanent. Plerumque agrypnia laborans fine paroxysmi appropinquante quietes indiget atque dulci somno fruitur, ex quo nonnullis post horis novis confirmata viribus expergiscitur. Eo fere modo tentatio tribus vel quatuor diebus praeteritis desinere solet.

In intervallis vero aegrota, si lassitudinem quandam post longinquas tentationes aliquamdiu remanentem excipias, bona fruitur valetudine.

Symptomata febrilia, ut frigus, calor, sitis, omnino desunt, nisi momenti esse putes, quod pridie aegrota sensu alicuius quasi frigoris et molestiae tentationem appropinquare se sentire contendit.

Ante vomitionem cum Caroline Bierende sitiat, succi citrici poscam vel aquam aceto mixtam libentissime bibit, post vomitum coffeam. Lassitudo dorsi membrorumque dolores nulla in tentatione deficientes summo paroxysmi impetu laxato vehementius urgent aegrotam. Tum luce et strepitu irritatur, in conclave separatum libentissime sese recipit, risum et interloquia, quae vehementem aurium dolorem excitant, refugit.

Tussis, dyspnoea, alia symptomata ab organis respirationis profecta cum omnino deficiunt, cor vehementer palpitare solet. Appetitus alias normalis in paroxysmis deest,

amare sapit lingua, aëris ructu et vehementibus ventriculi doloribus laborat aegrota, qui intolerabiles fere videntur ante vomitionem, postea usque ad finem secundi vel tertii diei paullatim minuuntur. Alvus, quae normaliter quotidie semel deiicitur, per tentationes diarrhoica nonnunquam fit, plerumque tamen abdomine tremente atque magnopere inflato obstipata est, quae molestia cochleare minore magnesiae sulphuricae sumpto removetur. Menstrua normalia sunt, per tres vel quatuor dies continuantur; hoc tempore iam minus larga. Quae saepius dolores prosequuntur, qui vehementiores facti hemicraniae tentationem incitant. Multi iam curaverunt medici aegrotam, sed successu prospero caruerunt; quid medicaminum sumpserit, nescit mulier. Nullo fere modo sublevatur nisi cataplasmatibus frigidis in capite impositis dosique magnesiae sulphuricae depuratae, si tentatione adveniente obstructio adsit. Animus vero mulieris, cum iam per tam longum tempus duret morbus, tristis atque depressus est.

Status praesens die decimo octavo mensis Martis anno MDCCCLXII.

Pulsus	96.
Temperatura	31,4.
Respiratio	30.

Aegrota utitur magnitudine mediocri, satis nutrita est, cutis bene affixa, elastica, normaliter colorata, musculi bene explicati.

Caput et facies: In recto capitis latere crinis, qui in vertice omnino deest, parcus invenitur. Oculi lacrimantur

vehementer, dexter hyperaemia modica laborat. Digitis pressum non solum totum hoc capitis latus sed etiam cervix dolent. Pupilli utrimque aequaliter bene reagunt, malae utriusque rubor congruit, labra et lingua sicca sunt; in linguae recessu calor subalbus insidet.

Collum et thorax normalia sunt, cordis pulsatio vehementior, iecur a superiore costae dextrae margine usque ad arcum costarum porrigit, digitis compressa sinistra maxime lacinia dolet, stomachi regio vehementer intumuit, quae pressa dolore afficitur, splen et dorsum normalia. At vertebras cervicales ipsas aliquanto affectas dolore si premas modice manu, capitis dolores augentur. Alvus inde a nonnullis diebus difficulter deiicitur, minctio parca, rubra acide reagit nullum continens albumen.

Tentatio quarta hora mane sua sponte incepit: tamen heri frigore modico tentabatur aegrota, atque per noctem intranquillo utebatur somno.

Therapia:

Rcp.

Calomel. gr. jj
Pulv. rad. Ipecac. ℈β
M. f. pulv. DS semel sumend.

atque porro:

Rcp.

Extr. Belladonn. gr. jjj
Aqu. Lauroceras. ℨjj
MDS omnes tres horas gtts. X—XV.

Praeterea posca succi citrici imperabatur atque sinapismus in epigastrio imponendus.

Status praesens die decimo nono mensis Martis, mane.

Puls.	75.
Temper.	30,0.
Respir.	24.

Pridie vesperi octava hora alvum deiecit aegrota et hodie mane quarta hora vomuit. Dolores capitis cum magnopere remiserint, hoc iam die lectum se relicturam esse sperat. Dolores vero in regione hepatis et cervicis sedentes usque ad hoc tempus etiam adsunt. Therapia nihil praebet praeter extractum Belladonnae.

Status praesens die vicesimo mensis Martis.

Temperatura, pulsus, respiratio normalia: aegrota de lecto surrexit, et doloribus omnino vacat.

Mense Aprili aegrota bis hemicraniae paroxysmo tentata est: qui cum extracto Belladonnae adhibito statim removeretur, medicamentum illud nunc semper domi habet. Inde ab illo tempore, quamvis in agro laboret, tamen intervallo modo quatuor vel sex hebdomatum tentationes eam aggressae sunt: quae Belladonna adhibita unum modo per diem remanserunt.

Usque ad finem mensis Augusti per duodecim hebdomata aegrota a morbo libera fuit. Quare maximam Belladonnae vim videmus, quae non solum singulas tentationes minuit, sed etiam sanationem radicalem effecisse videtur.

Iam exemplum ostendam hemicraniae, qua mulier affecta erat, cui Kraft momen est. Quae triginta annos nata,

ab homine operario in matrimonium ducta, Halis incolit, Steg Nro. 9.

Anamnesis.

Aegrota inde a prima infantia capitis doloribus laborat, quibus et mater et avia cruciabantur. Fratres et sorores morbo vacant.

Tentationes certo tempore et quidem octavo quoque die redeunt, et per horas viginti quatuor durantes, nullum relinquentes incommodum abeunt. Plerumque sub vesperum venientes paucis horis ante initium sensu alicuius quasi frigoris praesentit eas aegrota. Vehementissimis cruciatur doloribus mane ab hora tertia usque ad septimam; ante meridiem evomit massas biliosas, quibus eiectis statim indormit; sub vesperum doloribus omnino vacans expergiscitur. Dolor acutissimus circa sinistrum os parietale sedet, a quo ad occiput porrigit. Aliis, dum durat tentatio, vacat affectionibus; pungentibus de doloribus vero queritur sinistrum faciei latus occupantibus; symptomata hysterica animadversa non sunt, mentrua semper normălia fuerunt.

Die sexto mensis Maii aegrota tentatione affecta est, quam vehementissimam dyspnoea prosequebatur, quae antea defuerat. Quamquam haec dyspnoea e gravibus in epigastrio et in regione hepatica sedentibus doloribus petenda est; alvus iam per tres dies non deiecta est, semper enim obstructione habituali laborat aegrota. Vesperi emetico dato eructatio massae biliosae, et iniecto clysmate alvi deiectio efficiebatur; vehementes abdominis dolores emplastro vesicatorio ordinario adhibito deminuti sunt.

Status praesens die septimo mensis Maii mane.

Temperatura 30,8.
Pulsus 98.
Respiratio 30.

Aegrotae haud satis nutritae cutis pallida, rugosa, modice icterica est, panniculus adiposus parum explicatus; sinistra capitis et cervicis regio maxime irritabilis. Oculi lucem fugiunt et lacrimantur, pupilli angustiores facti normaliter reagunt, coniunctiva bulbi icterice colorata, lingua et labra humida, modica salivatio non deest.

Thorax magnum altitudinis diametrum habet, latera eius aliquanto convexiora sunt; percussio normalis est, auscultatio respirationem ostendit fere puerilem. Hepar a sexta incipiens costa sub marginem arcus costarum quatuor centimetros porrigit, sinistra lacinia duos centimetros trans lineam medianam provecta est; regio epigastrica et pressa et spontanea dolet, abdomen intumuit, alvus obstipata multam coloris biliosi materiem continet.

Therapia:

Rcp.

Sal. thermar. Carolin. ℥j
omnes tres horas cochlear minus in vitro
aquae sumendum.

atque porro:

Rcp.

Extr. Belladonn. gr. jjj
Aqu. Laurocer. ℨjj
MDS omnes tres horas gtts. X — XV.

Die octavo mens. Maii.

Vehementissimus icterus; capitis et ventris dolores diarrhoea effecta multo deminuti sunt.

Die duodecimo mensis Maii.

Icterus celeriter minuitur, caput doloribus liberum.

Die decimo nono mens Maii.

Ex die septimo tentatio non corripuit aegrotam.

Die trigesimo eiusdem mens.

Hemicraniae paroxysmo denuo affecta est mulier, qui quidem eadem praebuit symptomata ac tentationes priores.

Therapia:

Rcp.

Tinct. Belladonn.

Tinct. Valerian. aa ℈j

Acid. Hydrochlor. ʒβ

MDS omnes duas horas

gtts. XV. in aqua communi.

die tricesimo primo: mixtura successu caruit.

Die primo mens. Augusti.

Postquam frustra acidum sulphuricum, coffeam citricam, aquam nicotianam Rademacheri, acidum hydrochloratum saepius sumpsit, curam nostram reliquit aegrota. Tentationes certo octo dierum tempore redeunt, eundem habentes eventum. Unicum, quod morbum aliquanto sublevet, medicamen-

tum est sal thermarum Carolinensium, quo alvi deiectio ordinatur.

Quo ex casu primum hemicraniam omnibus interdum resistere medicaminibus et medici curam cassam esse, tum de propria morbi natura parum nos scire et therapiam nullam nisi experimentalem esse posse, intelligimus.

Tum in meretrice hemicraniam contemplatus sum, quae pauca praebuit symptomata peculiaria vel memorabilia: tentationes atypice venerunt atque quaecipue, cum aegrota nocte praeterita amori nimis indulserat. Ad therapiam pertinet hic casus modo hoc, quod aqua Nicotiana adhibita Rademacheri saepissime dolor reliquit aegrotam, quam quidem hac sumebat formula:

Rcp.

Aqu. Nicotian. Radem. ℥j

Aqu. Menth. piperit. ℥jjj

Syr. simpl. ℥β

MDS omn. duas horas cochlear maius.

Sed cum caussae morbi hic semper redirent atque propter mulieris vitae rationem removeri non possent, hoc medicamentum, quod tantum valuit singulis in tentationibus, successu modo palliativo utebatur.

Alius morbi casus satis memorabilis, quo vir affectus fuit, in clinico ambulatorio observatus est, qui vero, cum

aegrotus relinqueret urbem, diutius tractari non poterat. Hemicrania cum iam diu in dextro aegroti latere versata esset, primum dextri oculi infirmitatem, tum perfectam effecerat amaurosin; praeterea etiam coniunctiva inflammatione chronica affecta est.

VITA.

Natus sum Ernestus Rudolphus Witte fidei evangelicae addictus die decimo quarto mensis Ianuarii anni millesimi octingentesimi tricesimi noni p. Chr. n. in urbe Genthin, patre Christiano Witte, qui munere advocati fungitur, matre Iulia e gente Strebe, quos parentes summe venerandos et dilectissimos Deus optimus maximus mihi servavit et ut in posterum servet precor. Primis literarum elementis domi schola privata imbutus gymnasium Ioachimicum, quod tunc Meinecke directore, viro doctissimo, florebat Berolini et ad hoc tempus floret Kiessling viro spectatissimo directore, adii anno millesimo octingentesimo quinquagesimo secundo, atque ibi per sex annos in studia incubui. Tum testimonio maturitatis ornatus hanc almam literarum universitatem Fridericianam petii et mense Aprili anni millesimi octingentesimi quinquagesimi octavi p. Chr. n. ab illustrissimo viro Moll t. t. rectore magnifico in numerum civium academicorum receptus apud illustrissimum virum Leo t. t. philosophicorum ordinis decanum spectatissimum nomen professus sum. Uno autem post semestri medicinae amore commotus nostrae huic scientiae me dedi atque ab illustrissimo viro Blasius t. t. medicorum ordinis decano, in eorum numerum receptum sum.

Illud per tempus Halis semper versutus scholis per novem semestres interfui hisce: Doctiss. Alliihn de logice, Ill. Volkmann de anatomia corporis humani, de physiologia, Ill. Schultze de anatomia organorum sensuum, Ill. Volkmann, Ill. Schultze, Ill. Welcker de arte cadavera rite dissecandi, Ill. Welcker de histologia, Ill. Knoblauch de physice experimentali, Ill. Heintz de chemica et anorganica et organica, Ill. de Schlechtendahl de botanice› Ill. Giebel de zoologia generali, Ill. Girard de mineralogia, Ill. Schaller de psychologia, Ill. Vogel de cutis morbis, Doctiss. Mann de auscultatione et percussione, Doctiss. Volkmann. jun. de anatomia pathologica generali et speciali, Ill. Blasius de chirurgia generali et speciali, de luxationibus et ossium fracturis, de akiurgia, de operationibus in cadaveribus faciundis, Ill. Vogel de pathologia et therapia speciali, Ill. Krahmer de pharmacologia, Doctiss. Graefe de ophthalmologia, Ill. Hohl de arte obstetricia. — Scholis clinicis interfui apud Ill. Blasius chirurgico-ophthalmiatricis, apud Ill. Vogel, et Ill. Weber medicis, apud Ill. Hohl et Doctiss. Olshausen obstetriciis.

Quibus omnibus optime de me meritis summas habeo semperque habebo gratias.

Iam vero tentamine tam philosophico quam medico nec non examine rigoroso rite superatis, spero, fore ut hac dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

I.

Syphilis iam et antiquitus et media aetate versata est.

II.

Asthma nervosum, quod pendeat e contractionibus spasticis fibrillarum musculorum levium in pulmonibus non existit.

III.

Multum profuerunt homoeopathi in therapia pneumoniae.